



B. 209.

17  
18

# ANNIUERSARIAM GODOFREDI HOFFMANNI

GYMNASIIS ZITT. RECTORIS OLIM MERITISSIMI

## MEMORIAM I

INDIXIT,

AD EAMQUE CONCELEBRANDAM

## FAUTORES BENE MERITORUM

AD D. II. NOVEMBRIIS HORAM IX

OMNI QUA PAR EST OBSERUANTIA

INUITAVIT

M. Aug. Frid. Wilh. Rudolph,

Gymnasiis Director.

*De vi et professione docti hominis.*

ZITTAUIÆ LITERIS G. E. FRANKIL.

# MINISTERIUM DISPUTATIONIS

**I**n disputanda vi et professione docti hominis viam et rationem disputationis ante omnia investigare debemus. Neque enim in vaga sermonis consuetudine sine inconstantia acquiescere, nec novam quandam vim et potestatem vocabuli sine temeritate fingere possumus; et hac in re ardua ac subtili imprimis cauendum est, ne in verbi controversiam omnis disputatio abeat. Vicissitudo huius notionis, et vocabulorum ad eam significandam adhibitorum, cum causis et effectibus vicissitudinis, nec potest hac plagula comprehendendi, nec debet; etenim vel sine copiosa disputatione patet, postquam, aucta et latius diffusa hominum aliquid edectorum cultura, discrimina apparerent inter eos, qui dicerant et magistris usi fuerant, eos esse eminentiori significatu doctos vocitatos, qui scientia sua excellerent et in aequalibus eminerent; si quidem scientiam non barbare dicamus, de ambitu quodam rerum scientia comprehensarum, (Wissenschaft) sed eadem vi, qua Infinitius scire Substantiae dicitur; ac in scientia non certam et exploratam rerum rationem cum philosophis exigamus, sed scientiam concedamus omnibus, quibus aliquid ita innotuit, ut nec nesciant, nec de eo dubitent.

Quemadmodum autem id auctum et mutatum est, quo scientiae excellentiam censere, et quod in homine haud rudi maxime probare et requirere homines solerent: ita non modo varia aetate, sed etiam variis in hominibus docti notio varia evasit, ac multis disseriminibus distincta est, quae nec una cogitatione comprehendi cuncta possunt, nec temere impugnari singula debent. Etenim, simulac quedam vocabuli significatio definita est, aut adeo in sermonis consuetudinem abiit: omnis disputatione vitiosa est, nisi aut intra historicos fines contineatur, ac quid vocabulum significauerit, quaerat; aut notionis ipsius partim repugnantiam in se, et, ut ita dicam, nullitatem, partim noxam et incommoda disputet et exponat. Quin autem huiusmodi examen paucis verbis absolui haud possit, ne ea quidem hoc loco examinabo, quae nuper a viris doctis super hac re proposita sunt);

funt \*); sed quod hoc examen in constituenda docti hominis vi et notionē cauēdum esse docet, ne aut seculi consuetudine abripiamur, aut eidem inep- te repugnemus, adiciendum est. Ac primo quidem cauere debemus, ne sermonis consuetudini aduersemur adeo, ut aut eos, qui adhuc docti vocati sunt, suo nomine priuemus, aut eam, quae omni tempore huic vocabulo iuncta est, scientiae excellentiam negligamus et alio transferamus; quo- rum alterum necessario sit, vbi doctos a rerum publicarum cura se Jungimus ac in uno scientiae studio versari iubemus. Deinde ne e rebus sci- entia comprehensis doctum aestimemus, nec excellentiam docti in rebus cog- nitis, sed in ipsa scientia quaeramus. Quum enim de rebus docto scitu ne- cessariis magna sit sententiarum discrepantia et disputationis agitatio, de qua iudicari non potest, nisi constitutum sit, quis doctus debeat nominari: facile apparet, dum de notione ipsa agitur, hominis a scientia praestantiam, nec in genere, nec in copia, nec in utilitate, nec in dignitate, nec in iucun- ditate rerum perceptarum, sed in *scientia ipsa*, ac in ea virtute, quam ho- mines sola scientia consequuntur, quaerendam et ponendam esse. Itaque ne id quidem hac in causa spectandum est, quod docti efficere, ac homini- bus singulis, aut ciuitatibus, praestare possint ac debeant. Hoc enim ita demum recte aestimari poterit, si apparuerit, quarum rerum scientiam docti profiteantur; nec omnino consentaneum est, eum, qui a *scientiae et doctrinae* praestantia nominatur, *actionis et officiorum* praestantia censeri ac definiri. Denique cauendum est, ne, omissa rerum gerendarum mentione, docti hominis nomen, quod adhuc in laude ponebatur, ad contemnitum et vituperium conuertatur, et, quod in nomine Scholastici visu venit, \*\*)

lenta

\*) Conf. imprimis: *Wen soll man vorzugsweise einen Gelehrten nennen?* von Dr. Ioh. Friedr. Niemann. In libro: Deutsche Monatschrift. 1799 mense Septem- bri p. 56. sqq. vbi haec res elegantius et liberalius disputatur quam utilius. Ad rem nostram certe transferri ista definitio haud debet. Is enim ad commendan- da liberalium artium studia disputavit, nos ad aestimanda; is doctiores a doctis separare studuit, nos doctos ab indoctis; et quod is suo quodam iure sumfir, id nobis demonstrandum est.

\*\*) Conf. Exc. SCHROECKH. Hist. Eccles. T. XXIV. p. 386. et RITTERSHUS. ad Saluian. p. m. 1 sqq. (ed Brem.) cui addenda antiquissima JOSEPHI auctoritas contr. Apion. p. 1048. A. Genev. et HIEROCLIS *æstia*. Similia in nomine *docti*; tentarunt nonnulli; ac sane actum esset de docti laude, si probarentur, que in Eunomia 1801. mens. Aug. p. 111. sqq. promtus quidem sed minime peritus exi- stimator de docto genuino suo et spuriu miscere et effutire non dubitauit; qui quum in aliis, tum in eo maxime fallitur, quod istam suam doctrinam Alexan-

lenta increcentis contemptus tabe consumatur. Hoc enim, quam per se  
inceptum et indignum foret, tum satis declararet, perulgatae notionis fa-  
ctam a nobis esse immutationem.

Quae est igitur summa scientiae praestantia, ac virtus hominis so-  
la scientia parabilis? Quid est summum illud in scientia, quod perfecta et  
accurata scientia consequimur? Nihil apparet subtilius querentibus aliud  
ac ulterius, nisi iudicandi de re, cuius scientia est, *facultas et maturitas*.  
Hic finis est ac terminus scientiae; nam, quod scientia non terminanda iu-  
dicio, ac finis scientiae ulterior, amplior et magnificentior in agendi pruden-  
tia ac vitae vsu esse videtur, errore quodam accedit ac Latinorum vocabulo-  
rum ambiguitate; quum finis non modo extremum in re ipfa (die Grenze)  
sed etiam id, propter quod res comparata est et quo tendit aut tendere de-  
bet (den Endzweck) significet; terminare scientiam vero non solum ad li-  
mites ipsi ponendos, verum etiam ad praecidendum eius usum facile trahat-  
tur. Haud inutilem esse hanc subtilitatem, mox apparebit; sed haud ina-  
nem esse, ex inutilium rerum scientia satis manifestum est. Qui enim seit,  
quot literarum elementa in sacro codice reperiantur, et quae sit media to-  
tius litera; aut vnde nomen *Quatember* ortum sit, et alia huiusmodi; is  
haud dubie consecutus est, vt his de rebus *iudicare*, ac aliorum super ea  
re opiniones *aestimare* possit; sed de usu quodam huius scientias in vita  
et actione nemo quidquam somniabit; quid? quod, etsi illud vocabulum  
et ieiuniis quatuor temporum ortum et corruptum sit, tamen egregie ride-  
retur, qui suam scientiam secutus *Quatember* scribere sustineat. Finem  
autem ac terminum scientiae esse iudicandi facultatem, ii quoque reapse  
concedunt, qui, in tanta utilium rerum copia, inutilium scientiam ferre no-  
lunt, ac de earum studio dehortantur: omnis enim haec dehortatio vana  
esset ac sibimet ipsis repugnans, nisi ea id consiteantur, quod statuo, utili-  
tatem ad vitam non esse in scientia ipsa per se, sed in rebus perceptis et cog-  
nitis; ac esse postea scientiam rei omnibus numeris absolutam et tamen usu ca-  
rentem. Quo circa iure meo hoc posui: summam virtutem et praestanti-  
am ipsa scientia et ea quidem sola parabilem, ac finem scientiae ipsum, esse  
iudicandi maturitatem.

Est

---

driæ inuentam ac a Romanis per omnem Europam propagatam putat. Haec  
enim saepe saluti fuit rebus publicis; ista vero genuina doctrina non modo a re-  
rum publicarum eure, sed, quoad eius fieri potest, e rerum natura tollenda est.

Est igitur consentaneum, eos, qui a scientiae excellentia nominantur, iudicandi facultate et maturitate eminere, ita, ut, quod *vere* doctus et *rei* peritus iudicarit, id certum et ratum haberi debeat. Recte igitur in docti notione et professione ponimus *recte iudicandi facultatem*; qui enim nulla in re hanc facultatem adeptus est, is profecto non potest doctus vocari nisi catachrestice. Hac facultate tamen sola doctum minime possumus censere; neque enim doctis proprium, sed omnibus hominibus commune esse debet, ut quisque de eo genere rerum, in quo versatur, recte debeat iudicare posse. Sed graue iudicii et sententiae rectae discrimen in causa et ratione est, cur ita iudicemus seu censeamus. Etenim, qui censet, *partim* sequitur auctoritatem aliorum, ac opinionem peritiae et prudentiae eorum, qui ita iudicarunt, et rata habet sententiam, quia aut ab auctore fide digno et perito profecta, aut per uulgata et communis consensu comprobata est; *partim* suum sequitur iudicium ac sententiam, siue a se inuentam siue ab aliis acceptam, propterea probat et ratam habet, quod ipse *rei* peritus, ac rerum scientia ad explorandum et iudicandum necessaria instructus est; qui igitur sententiae aut auctor est, aut auctor futurus fuisset, nisi alii hanc laudem occupassent. In vtro genere eximitorum maior sit dignatio et scientiae vis atque praestantia minime obscurum est. Etenim, tametsi uterque veram sententiam, quae rata haberi debeat ab omnibus, proferat; nemo tamen negabit, excellentiam scientiae in eo potius esse, qui suo *Marte iudicare*, ac sententiam suam, si impugnetur, rationibus idoneis defendere possit, quam in eo, qui aliorum auctoritate sola nitatur ac se suaque tueri debeat. Itaque doctos, qui scientiae praestantiam profitentur, suo *Marte iudicare ac scientia ad iudicandum necessaria instructos esse* oportere, maxime consentaneum est.

Quamquam autem hoc discrimine ab iis discernuntur, qui, etiam sine doctrinae copiis et iudicandi auctoritate, quidquid verissimum sit addiscere ac suum in usum convertere student; tamen, ne hoc quidem discrimine in notionem recepto doctum satis tenemus. Etenim ne haec quidem virtus doctis propria, sed communis cum omnibus, cuiuscunque *rei* peritis, quorum quisque suo in genere hanc virtutem aut consecutus est, aut, ut eam consequatur, operam dare debet; ut, quod supra auersati sumus, ne rerum quarundam *scientia* doctum censeremus, id nunc retractare et amplecti debere videamur. Veruntamen aliud quoque discrimen est in iudicandi

candi facultate a fine proposito. Nam iudicanti partim scientia proposita est, partim actio et vitae usus; etenim iudicantis opera partim positur in inspectione seu cognitione et aestimatione rerum, ac, siue propter rei cognitae naturam siue ex arbitrio iudicantis, nullum exigit actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta est; (iudicium theoreticum) partim tendit ad actionem atque aut in actu, aut in effectu, et originem et finem habet adeo, ut et propter actum iudicetur et secundum iudicium agatur. (iudicium practicum) Illud igitur docet, quid recte dicatur; hoc quid prudenter agatur; quae, tametsi in vita coniungenda sunt, ne theoreticum sine practice ineptum, hoc sine illo vanum et temerarium euadat: cogitatione tamen discernuntur, ac discerni debent. Theoreticae aestimationi enim, tanquam materia in qua versetur, subiecta sunt omnia, quae in scientiam humanam cadunt; quaerit, quid verum aut fallum, certum aut incertum, honestum aut turpe, utile aut noxiū, nouum aut antiquum sit, ac alia huiusmodi. Practicae aestimationi ea tantum subiecta sunt, quae ad vitam et actionem pertinent. Itaque in honestate et utilitate acquiescit, ac verum et reliqua attinet eatenus, quoad sine considerato de iis iudicio honestas et utilitas iudicari et quid optimum factu sit inveniri haud potest; quumque ad vitam peruvagata veri et honesti opinio saepe plus possit, quam ipsa veritas; veri potius opinionem, quam certainam rationem sectatur; et ut ad theoreticam aestimationem natura, ordo, nexus, partes, caussae, origines et effectus rerum disputantur, sic ad practicam de usu rei agitur, num sit aliquis? quis sit? num operae pretium sit? quo modo optime percipi possit?

Practici igitur iudicii praestantia omnibus hominibus proposita est, ut quisque non modo de eo genere, in quo ipse versatur, sed etiam de rebus ad omnes homines pertinentibus recte debeat siue ad peritorum existimatorum auctoritatem, siue suo Marte iudicare; qui hoc in iudicio probabilem facultatem adeptus est, sensu communī & sana ratione praeditus esse dicatur. Quamquam autem hoc in genere aestimationis maior est gravitas, eidemque inspectio et rerum ad scientiam solam contemplatio eatenus subiecta est, quoad iudicari debet, num operae pretium sit, hanc rem disputare et aestimare: negari tamen non potest, si scientiae excellentiam et praestantiam quaerimus, eam in theoretici iudicij subtilitate et consummatione repetiri. Etenim non modo copia rerum cognoscendarum, sed etiam eo maxime excellit, quod ipsa principia, secundum quae practice iudicatur, contemplationi et examini subiecta sunt. Hinc nec dubium est, vtra iudicandi ratio

ratio doctis sit proposita, nec discrimen latet, quo a cultioribus ac liberali-  
tatem institutionem expertis distinguantur.

Hinc etiam intelligitur, cuiusque rei et doctam et vulgarem seu  
practicam scientiam esse posse. Nihil est enim a doctorum negotiis tam re-  
motum, quin docte tractari et disputari possit ab iis, qui docte rem intelle-  
xerint et explorauerint.

In pratico autem iudicio haud leue discrimen est a rebus, quae  
aestimantur. Aliae enim satis intelligi et cognosci possunt sine theoreticae  
quaestioni facultate, copia et ambitu; aliae non possunt, nisi ea quoque ex-  
plorata sint, quae theoreticae aestimationi propria putantur. Vbi enim  
subiectum, de quo iudicari debet, certum et definitum est, ut non facile aber-  
ret cogitatio et iudicium: theoreticae investigationis copia non admodum  
desideratur ad practicae aestimationis rationem; sed vbi facile incurri-  
mus in rei iudicandae confusionem et aberrationem: contemplativa fa-  
culta et subtilitas maxime necessaria est, ut ipsa res pratico iudicio  
subiicienda sistatur ac maneat. In rebus autem, quas intueri ac sensibus  
subiicere possumus, verendum non est, ne confusio fiat ab eo, qui sanis sen-  
sibus vtitur; in iis vero, quae sola mentis acie cernuntur, rerum iudicandarum  
confusio non modo metuenda est, sed etiam vltata; in ipsis enim ver-  
ba ad cognitionem adhibita rerum cognitarum sunt nomina, quorum pro-  
prietas et evidentia rerum imagine et multorum conscientia conservatur et de-  
fenditur; (nam qui tanquam infans vel puerulus nomina rerum sub adsp-  
etu positarum confundit et imperite ad alia transfert, is facile redarguitur et  
ridetur) in his vero verba notionum et cognitionum tantum signa sunt, ac  
ipso vocabulo et eo quidem solo rei conseruatur cogitatio, ut non modo faci-  
lius ad aliena ac similia transferantur, sed vt haec translatio etiam multo dif-  
ficilius detegatur, ac rerum a sensu remotarum rautrys, quum et subtilita-  
tem cogitandi postulet, et pauciorum conscientia comprehendatur et defen-  
datur, multo difficilius conseruari possit. Hinc infelix ista logomachiarum  
seges, quae ab imperitis magna contentione et iracundia agitantur, ac sae-  
pe capitales fuerunt iis, qui ad subtilitatem argutam nec rei ipsius peritiam,  
ut recte versarentur, nec iudicium practicum seu sensum communem  
vt sibi cauerent, nec potentiam, vt se defenderent, adiecerunt.

Quodsi notiones, iudicia, et rationes rerum, atque scientiam, quae e no-  
tionibus, sententiis et rationibus tanquam e partibus componitur, rebus ipsis opponi-  
mus,

mus, ac scientiam ipsam nominamus: ex hac disputatione facile componimus notionem hominis, qui de scientia humana ipsa suo Marte scienter potest iudicare; qui, quoniam recte iudicet, ab imperito differt; quem suo Marte recte iudicet, copis ad iudicandum necessaris instructus sit, ac sententiam suam recta ratione et sine auctoritatis praejudicio tueri possit, ab illiberali et ex aliorum auctoritate apto et suspenso distinguitur; quem de scientia humana ipsa, quae sola mentis acie cernitur, et ad iudicandi facultatem ab auctoritatibus obsequio plane liberam theoreticae quaestiones et aestimationis praestantiam exigit, suo Marte scienter iudicare possit, a liberaliter educato et elegantiori scientia praedito secernitur; qua quidem notione doctum satis tenere videmur.

Hinc etiam intelligitur, cur docti a genere rerum, quarum scientiam profiteruntur, nomina accipiant, ac in theologos, iuris consultos, medicos, ac philosophos late dictos distinguantur. Nam religionis decreta, morum ratio, leges et iura ciuitatum, morborum vis et natura et medendi praecepta, quum sola mente cernantur, ac logomachii facile euertantur ac misceantur, theoretici iudicij subtilitatem postulant, ut vel practico certa constet ratio; quicunque autem doctrinac praestantiam ad alias res transferunt, aut ad philosophiam stricte dictam, aut ad res quasdam et artes, ii omnes aut ad historicos, aut linguarum peritos, aut mathematicos referri, aut in alio genere eorum, qui philosophi vulgo appellantur, ponit poterunt. Nemo igitur definitio ne nostra suo nomine priuatur; sed nec illud comittitur, ut plures sint docti vocandi, quam qui adhuc hoc nomine ornati sunt. Etenim sine antiquarum linguarum scientia, in quibus scientia humana nata est, ac inde in nostram et recentiores alias transfusa; et sine historiae scientia, quibus adhuc doctum maxime censuerunt, nemo umquam eo perueniet, ut de scientia humana ipsa, eiusque indole ac natura, suo Marte et tamen recte iudicet, et vt de his rebus iudicandi arbitrium publica auctoritate munatum ei possit concedi. Quin sine istarum rerum peritia de rebus vel summis ac iudicatu difficillimis disputare, argutari, inconsiderate decernere, ac speciem subtilitatis praefere ferre homines, aut unius magistri decreta ediscere possint, nemo unquam dubitauit aut facile dubitabit. Qua de re deinceps dicendum.

Nunc enim indicenda est oratio, de opposito vitae artisque effectu, ad quam beneuelle audiendam rerum publicarum Antifites Perillustres, Generosissimos, Magnificos, Plurimum Venerandos et Clarissimos cum reliquis doctrinae fautoribus, omni qua par est obseruantia inuitare volui debuique.

F. P. Dom. XX. p. Trinit. MDCCCLII.

Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3




sb

4018

n. C.



B.I.G.



ERSARIAM  
I HOFFMANNI

CTORIS OLIM MERITISSIMI

ORIAM I

NDIXIT,

CONCELEBRANDAM

ENE MERITORUM

VEMBRIS HORAM IX

R EST OBSERUANTIA

NUITAVIT

J. Wilh. Rudolph,

afii Director.

XIII.

sione docti hominis.

TERIS G. E. FRANKII.

17  
18